UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Promissio non repetendi? parag. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

§. II.

Promiſſio non repetendi Mutuum, an licitum reddat lucrum?

1. DO tibi mutuos centum, & me obligo, eos non repetere per unum, per duos, per decem annos, poſſumne licitè aliquod proportionatum accipere propter hanc ſolam obligationem?

Reſpondeo. Negatur communiter, & ſententiam affirmantem vocant nonnulli novam, inauditam, falſiſſimam, periculoſam in fide, & aperientem viam Uſuris. Leſſius *a* tamen licet negantem ſententiam excipiat, affirmantem tamen ait videri alicui non improbabilem.

a Leſſ. lib. 2. c. 20. du. 14.

2. Dubia igitur res eſt. Quoniam ergo eam affirmantem nolumus in praxi deducere, nobis utile non eſt, eam fuſiùs proſequi, ut in ſimili diximus paragrapho præcedente, proſequuti tamen alibi ſumus *b* pluribus, & videri apud Doctores *c* poteſt.

b Lib. 8. in Decal. Tr. 3. c. 8. toto §. 5.
c Leſſ. l. c. Delug. l. c. ſec. 3. Arag. 22. q. 38. ar. 1. Dicaſtil. li. 2. de Iuſt. tr. 10. diſp. 2.

§. III.

Moleſtia, quam ſubit Mutuans ex privatione ſua pecuniæ, an licitum reddat lucrum ex Mutuo?

1. DUplex in re noſtra diſtingui debet moleſtia. Altera, quæ ſumitur ex periculo, quod ſubit mea pecunia dum tibi, non certè fideliſſimo, eam concedo mutuam: & de hac nuper locuti ſumus cap. 3. §. 6. Altera, quæ ſumitur ex abſentia pecuniæ mutuatæ, eſt enim (ait *d* Caramuel.) aliquod ſolatium videre in Arca ſuam pecuniam, ergo moleſtia erit carentia hujus ſolatii, De hac loquimur in præſentia, & quærimus, an pro illa, quam Mutuans ſubit in gratiam Mutuatarii, aliquod lucrum poſſit exigere?

d Caram. lib. 2. Theolog. mor. d. 14. n. 362.

2. Incerta res eſt, quia ex una parte aperitur ampla via ad Uſuras, at ex alia videtur adeſſe hæc moleſtia in Mutuante, atque adeo vendi eam ab ipſo poſſe, quando illa verè adeſt. Quod confirmari poſſet, quia non invenitur in omni Mutuo. Verùm iterum dico, eſſe rem incertam, & propterea in praxim non deducendam, præcipuè ex eo capite, de quo *e* alibi dixi, quia nimirum ejuſmodi moleſtia apud homines non venit in conſiderationem, unde, nec materia eſſe lucri debet. Lege Dicaſtillum. *f*

Confirmatur. Nam, ſi tua pecunia eſt longè à te diſtans v. grat. apud Trapezitam, parvum, ne dicam nullum, erit ſolarium, quod ab ipſius præſentia capere poſſis, ergo illud vendere non potes.

e Lib. 8. in Decal. c. ... §. 6.
f Dicaſtil. li. 2. de Iuſtit. Tr. ... d. 2. dub. 11.

§. IV.

Non petere redditionem Mutui, dum Mutuatarius aliquid pro me facit.

1. DIxi capite 4. §. 4. num. 9. ſequens, vel ſimile Mutuum, licitè in rigore celebrari, per Molinam, & Leſſium, poſſe. Mutuo Petro mille aureos, uſque ad tempus, quo ipſe frequentabit meum Molendinum, licitè ergo etiam per eoſdem erit hoc ſequens mutuum. Eidem Petro mutuo mille aureos, uſque ad tempus, quo ipſe ſingulis menſibus donet ex liberalitate mihi duos aureos v. grat. Quando autem non donabit, volo, ut reddat mihi meos mille aureos. Vides? non peto illos aureos duos, ut pretium mutui, quod mutuum certè gratis concedo, ſed volo experiri beneficientiam, & gratitudinem Mutuatarii, & volo, illum eſſe terminum mutui, qui eſt terminus ejus liberalitatis. Inquiro ergo, an id ſine ſcrupulo in praxi deduci poſſit?

2. Reſpondet *g* Salas, & Delugo, *h* licere te ſic mutuum celebrare, quia, hoc modo, tu ſolum vis repetere tuum mutuum, quando ceſſabit beneficentia Mutuatarii, quod non eſt illicitum, ajunt, quia præfigere terminum ſuo mutuo, licitum eſt cuilibet: & ex alia parte Petrus non cogitur dare illos duos ex debito, ſed ex liberalitate, quando voluerit per illos aureos tuam benevolentiam conciliare. Suppone tamen ſemper gravamen, quod imponitur Mutuatario eſſe judicio prudentis juxta regulas gratitudinis æquale gravamini, quod mutuans ſubit mutuum non repetendi, ut ſcilicet ſic nihil occultè contra Juſtitiam intercurrat, ſed gravamina juſtè compenſentur.

g Salas de ... 2. de Uſur.
h Delugo diſput. 25. de Iuſt. n. 53. alii que apud Dianam p. 11. tr. 6. reſol. 13.

3. Neque ſic omne lucrum ex mutuo juſtificari poſſe, dicunt, dum Mutuans poſſet

ſemper

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN